Oratio.

DEUS virginitátis amátor, qui beátam Maríam Magdalénam Vírginem, tuo amóre succénsam, cæléstibus donis decorásti : da ut quam festíva celebritáte venerámur * puritáte et caritáte imitémur : Per.

Item in j. Vesperis Memoria S. Urbani Papæ et Mart.

Oratio.

DA, quæsumus omnípotens Deus : ut qui beáti Urbáni Mártyris tui atque Pontíficis solémnia cólimus * ejus apud te intercessiónibus adjuvémur : Per.

AD II. VESPERAS.

Psalmi de Communi unius Martyris.

Capitulum. Eccli. 50.

QUASI stella matutína in médio nébulæ, et quasi luna plena in diébus suis * et quasi sol refúlgens : sic iste effúlsit in templo Dei.